

1)
2)
3)
4)
5)
6)



N. 10.

D. B. I

DISSERTATIONE PHILOLOGICA

ΝΑΙΔΙΑ

PRO LOCO

RITV ANTIQVO OBTINENDO


DIE XI DECEMBR. A. O. R. c13 13cc XVII

E VETERVM MONIMENTIS

EXPONET

M. CHRISTIANVS GOTTHOLD
WILISCH

LIEBSTADIENSIS



LIPSIÆ

EXSCRIPSIT IMMANVEL TITIVS.



17. 10

PHILOSOPHICA
N A I A

P R O F O C O

ITV AMPOVO OBTINENO

DISCIPULI ET A. O. P. A. M. A. M. A. M.

E. A. L. E. X. A. N. D. R. M. O. N. T. A. N. I. S.

1700

M. CHRISTIANVS. O. T. T. O. L. D.

LIBRARIUS



INSTITUTIO

A



V I R O
E X C E L L E N T I S S I M O
D O M I N O
J O C H R I S T O P H O R O
W I C H M A N N S H A V S E N I O

O R I E N T A L I V M L I N G V A R V M I N A C A D E M I A W I T T E N B E R
G E N S I D O C T O R I P V B L I C O , O R D I N I S S V I S E N I O R I E T B I -
B L I O T H E C A E D I R E C T O R I G R A V I S S I M O
D O M I N O Q V O N D A M H O S P I T I E T D O C T O R I
N V N C P A T R O N O O P T I M O

S P D

C H R I S T I A N V S G O T T H O L D W I L I S C H



Venit tandem pudorem audacia, ut *Te, Patrone Excellentissime*, publice alloqui, pietatemque, quae mihi in *Te* est, testari sustinerem. Quicquid enim a doctore et patrono modo potest expectari, id abs *Te* pleno flumine in me olim profiteor esse deriuatum. Me in terris Vestris quondam hospitem et peregrinum *Tuis* paternis plane amplexibus exceptum hospitio, doctrina et consuetudine admodum singulari beare voluisti. Nec praesentem modo beneficiis cumulaisti, sed ab eo tempore, ex quo Lipsiam quatuor abhinc annis me contuli, noua saepissime et luculenta antiqui *Tui* in me adfectus et propensissimae voluntatis natus

ctus sum testimonia. Quare cum tot tantaque beneficia *Tua* exigua hac thuris impensa rependere audeam, hasque ipsas litteras in publicum et quouis aere perennius pietatis meae documentum extare cupiam, necesse habeo excusatione, qua egentior ille Socratis auditor, Aeschines, erga hunc suum magistrum utebatur. Cum enim hic ceteros eadem secum doctrina vsos largissima doctori suo dona reddere cognosceret, litteras hasce Socrati tradebat: Nihil dignum te, quod dare possim, inuenio: et hoc vno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod vnicum habeo, me ipsum. Hoc munus, rogo, qualecunque est, boni consulas, cogitesque alios, cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse. Eadem haec igitur, *Vir Excellent.* nunc sunt ad *Te* publica mea vota et preces, quas saepissime iamiam priuatis litteris repetii, vt videlicet certus sis et persuasus, me *Tuum* fauorem et beneuolentiam omni pietate, obsequiis et sanctiore animi candore studere compensare. Quo cum in *Te*, *Patrone Optime*, sim animo, nihil magis in votis precibusque meis sollicitis habeo, nisi vt diuina benignitas, cui grata cordique est pietas *Tua*, *Te Tuamque* Gentem splendidissimam diu sospitem incolumemque tueatur, omnibusque bonis ad satietatem vsque iubeat abundare. Sic vale, *Excellentissime Domine*, vale remque *Tuam* age quam felicissime. Scribeb. Lipsiae d. X. Dec. Anno purioris doctrinae saeculari secundo, R. vero S. clb Ioc XVII
PRO-

PROLOGVS



Nnus est, ex quo de praesenti argumento ex veterum monumentis quaedam colligere et publica dissertatione eruditorum oculis exponere occoepi. Equidem multi, quorum consilium mihi sperabam esse profuturum, credebant, sterilem hanc esse materiam nimisque arctis inclusam cancellis, quos nisi vellem transilire et in alienos campos exspatiari, pauca mihi fore excutienda, praecipue cum inter particulas ex diuturno naufragio, quo per tot annorum decursus antiqua graeciae Latinaeque historia concussa est admodumque conquassata, collectas pauca circa hoc momentum annotauerint ii, qui vetustatis reliquias ab interitu et squalore vindicarunt. Atvero manum de tabula tollere telamque iam coeptam retexere nolebam honori mihi decorique ducens, in eo versari argumento iisque lucis quid (praesertim id scripserim) affundere, quae multi inuestigatione sua intacta reliquere. Cum vero tunc temporis in via multis nondum trita lapsus, ut ego quidem suspicor, fuerim, multa, quae huc non spectabant, congesterim, plura calamo dubio scripserim et haesitante, et plurima ieiuna admodum et quasi immatura adhuc viderentur, consultum duxi, falce ex aliena messe re-tenta, omnia ista nunc emendare, certiora proponere, nouoque plane ^{videlicet} haec induere habitu formaque vestire luculentiore. Hec itaque Benigne Lector, in vestibulo volui monere, antequam ad ^{noctidicam} spectanda ingrediaris

DISSERTATIO

I

A Bouo est exordium et, antequam rem aggrediar, varia, quibus ista insignitur nomina sunt exponenda. Ἱεροθῆκαι, νεωκόγια, ναῖδια, ναῖοναι, et Latinorum sacella, sacraia, aediculae, vnam eandemque rem, vti *Glossarium* a Labbeo editum testatur, videntur significare. *Dion. Cassius* a) νεὸς μικρὰς, ναῖδια *Polybius*, b) & *Strabo* c) ναῖονες & πνευνοθῆκαι πλήρεις τῶν ἀρχαίων τεχνῶν commemorat, *Aristotelis* vero Interpreti Anonymo, *Lutetii Parisorum* edito d) εἰκονοστάσια dicuntur, quorum architectos ναοποιὰς vocat, οἱ τὰς ναῖδων ποιῶσιν, ἢ τοὶ εἰκονοστάσια τινὰ μικρὰ ἐβόλαι, ἢ πάλῃσι.

II

Nominis ita expositi et a sanctitate in vtraque lingua desumpti ratio abunde iam docet, rem quoque fuisse sacram et diuinam. Equidem *sacrarium* pronunciat *Vlpianus* e) locum esse, in quo sacra reponuntur, quod etiam in aedificio priuato esse potest, et solent, qui liberare eum locum religione volunt, sacra inde euocare. f) Atenim vero non locum modo, sed et vascula et quasi armaria, quibus includebantur sacraiora, ita fuisse appellata, clarissime exiis, quae nunc consequentur, elucescet. Erant vero vascula ista et aediculae minutae et portatiles exiguae Deorum aliaque intra se continentes simulacra, variae figurae varieque constructa, quae vel in templis vel etiam in atrijs et larariis collocabantur, vel ab hominibus se-

a) *Libro XLmo Histor. ex edit. Leunclau.* b) *L.VI Hist. c. 51.*
 c) *Geograph. L. XIV.* d) *ad Rhetor. l. 15.* e) *Digest. L. IX. §. 2. de Rev. Diuisione.* f) *confer. V. G. I. G. Bergeri disputat. de euocat. Deor.*

cum circumferri et huc illucque facile poterant transportari, vel, uti *Pitiscus* scribit, *aedicula est armarium, quod vulgo ciborium appellatur, receptaculum et quoddam quasi loculamentum, quo simulacra Deorum contineri solent.* Longissime itaque hae aediculae diuersae sunt ab aedibus paruis, quarum singulas quilibet habebat vicus, quem admodum hodie quaelibet curia, uti *Pancirothus a)* habet, vel parochia suum templum. *Aedes hae minusculae, scribit Iacobus Gutherius b) erant incusodiae, quas qui cen-
tauerint, amplius quam fures, minus quam sacrilegi mere-
bantur*

III

Multo minus nostra haec *vesidiae* cum templis portatilibus, quorum frequentissima apud vetustiores historiarum scriptores est mentio, sunt confundenda. Ita enim *ἡνὸν μικρὸν ἑλλένιον κατακεχρυσωμένον* recenset *Herodotus, c)* cui impositum erat *ἀργυρέμια*, quod trahebatur *τετερεσκύλλω ἀμάξῃ*, et *Eustathius d)* memorat *veses ζευγηφο-
ρεμένας*, quale quid *Eusebius e)* enarrat de *Agrote, Phoenicum,* quodam Deo, quod ipsi fuerit *Ἰσοον μάλα σεβάσιμον καὶ
veses ζευγηφορέμενον*. Et huc pertinere, uti ego nullus dubi-
to, videtur tabernaculum illud sanctissimum, quod a *Mose*
iussu diuini Numinis in itinere *Israelitico* conficiebatur

מִשְׁכַּן דִּי שְׂרַת הַמֶּן שְׁכַנְתִּיהָ בְּנוּ בְנֵי נֹשֶׂא
vti

a) in *Descript. Rom. Urb., Alex. Donatis de V.R.L. II. c. IV.* Bar-
tholomaeus *Marianus* in *V.R. Topograph. L. II. c. IV.* b) de
Veteri Iure Pontificio Urbis Rom. L. III. c. II. c) in *Libr. II,*
qui *Euterpe* inscribitur, c. 63. d) ad *Hom. Fl. β.* e) de
Praepar. Euang. I. X. fol. 35.

vti *Chaldaeus a)* scribit, *voios* inquam ille τῆς κωνσταντινουπόλεως
 τὸ ὑψίστου, quod testante *Iosepho b)* ἐδὲν τοῦ μεταφερόμενος καὶ
 συμπεφωτοῦ ἐν τῷ δὲ φερον, quippe quod ab *Israëlitis* in iti-
 nère suo perrecturis commode poterat transferri. Num
 vero illud gentibus templa portatilia sibi fingendi dederit
 occasionem, an vero istius origo ab hisce sit arcessenda,
 decidere impraesens non audeo id saltem contendens,
 tabernacula et templa illa portatilia gentibus a priscis ad-
 modum temporibus frequenti vsui fuisse. Quare etiam
 huc animum suum intendisse videntur instrumenti
 veteris interpretes graeci, qui verba *Davidis c)*
 וְהָיָה לְךָ מִצַּרְיִם גּוֹי וְהָיָה אֲשֶׁר פָּרִיתָ לָךְ מִצַּרְיִם sic transtule-
 runt: Ἔς ἐλυτρώσω σε αὐτῶ ἐξ αἰγύπτου ἔδνη καὶ συναμάματα.
 Ideo scilicet Deos exponunt per συναμάματα quod in iis
 ethnici Deos suos colere solerent et circumferri. Sed
 quorsum haec? cum templa haec portatilia circulos nos-
 tros neutiquam ingredianrur

§. IV.

Quemadmodum igitur antiqua satis est sub imagi-
 nibus & simulacris Numinum superstitione colendorum
 ratio, ita cum eadem etiam religione haec *voios* eandem
 habere aetatem quis facile negabit? praecipue si antiqui-
 tatis monumenta, quae tot retro saeculis ad tempestatem
 nostram peruenerunt, fidem non fallant suamque tucan-
 tur auctoritatem. Si quid igitur suspicioni est con-
 ceden-

a) P. LXXVIII, 60. b) L. III. Ant. Jud. C. IV. c) 2 Sam. VII, 23.
 Schindlerus h. l. per מִצַּרְיִם intelligit *Mosen & Aaronem*,
 qui in Exodo dicuntur *Dii*. Melius autem, iudicante *Glaffio*,
 cohaeret sermo, si cum *Iunio & Tremelio* elliptice verbi,
 expellere, statuatur, conf. *Glaff. Philol. sacr. p. 166a*.

cedendum, in fuga, qua *Troiae* interitu se suosque eripuit *Aeneas*, et quam lapidi incisam nobis reliquit *Cl. Laurentius Begerus*, *Anchisen*, *Aeneae* patrem, vel *Laetes Troianos*, vel *Viales* potius, ut mihi videtur, hisce *videtis* inclusos manibus gestantem conspiciere videor. Iter enim suscepturis idola parua secum ferre familiare admodum fuit maximeque solenne, ut itineris socios atque auspices haberent Deos, iisque cultum exhiberent. Ita enim *Troiae* agitata numina *Virgilio a)* commemorata exponit *Seruius*, quod *Écœves* et simulacra breuia fuerint quae portabantur in lecticis, et ab ipsis mota infundebant vaticinationem, quod fuit apud *Aegyptios* et *Carthaginenses*. Nec alio fine, nisi ut eos haberet viarum et periculorum suorum comites, *Rachelem* patri suo 𐤓𐤏𐤃𐤁 (simulacra parua) esse suffuratam iudicat *Spencerus b)* quapropter *Laban* etiam Deos sibi ereptos esse tam facile citoque deprehendisse eidem celeberrimo Viro videtur, quod eosdem viae socios sibi exoptans non inuenerit. Nec Deos in via modo comites sed et in bello duces atque auspices sibi adesse gentiles existimabant. Quare cum signa ac manus cum hoste conferent, tutelares quoque Deos et suas fouere atque tueri partes et ipsos inter se credebant dimicare. Tot exinde apud poetas Deorum subnatae sunt pugnae, dum partibus studuisse finguntur contrariis; quibus suam etiam *Homerus* *Iliada* repleuit, et ex quo multa in suam *Aeneida* contulit *Maro, c)* qui omnigenum Deorum monstra inuicem pugnantia fabulatur. Eiusmodi igitur itineris pugnaeque,

B

si qua

a) *Aen. L. VI. p. 68.* b) *de Leg. Ebraeor. Ritual. L. III. c. III. Diff. I.* c) *Aen. VIII. v. 698.*

fi qua futura fuisset, duces et auxiliares *vecidios*, quae in aere *Begeriano* conspiciuntur, gestasse mihi *Anchises* videtur

V

Et sane tabernacula illa *Molechi* (סכנת מולך) fuisse eiusmodi aediculas, in quibus idola *Martis*, quem scilicet sub *Molechi* nomine *Aegyptii*, vti *Athan. Kircherus* auctor est, coluerunt, fuerint reposita, veritati quam optime videtur consentire. Equidem veteres *Ebraeorum* magistri, *Salomo* & *Kimchius*, quorum vestigia quoque inter alios *Lutherus*, *Schindlerus* & *Vatablus* presserunt, vocem hanc ut nomen proprium stellae cuiusdam accipiunt, at nescio sane, quo nixi argumento, cum pro nostra ipsa antiquitas nominisque ratio militet sententia. Solebant enim *Aegyptii*, quos ut primos fere omnis superstitionis parentes *Israelitae* imitabantur, Deorum imagines aediculis siue tabernaculis quibusdam inclusas stas et sacris temporibus circumferre. Cuius sane antiquae superstitionis exemplum egregium de *Aegyptiis* commemorat *Herodotus*. a) Hi enim, cum in honorem *Martis* in vrbe, *Papremi*, quotannis soleant conuenire, inter alia, quibus eum honorare satagunt, ipsius quoque simulacrum ἐόν ἐν νηὶ μινεῶν ἔχοντα κατένευστον ἐνα, vti *Herodotus* scribit, alii exportant in aliud sacrum habitaculum, alii vero currum trahunt, quo aedicula illa vna cum suo simulacro vehitur

VI

Equidem in tres aut potius saltem in duas haec eruditi abeunt sententias, quorum alii סכנת מולך fuisse templum vel tabernaculum aliquod grandiusculum et portatile,

a) L. II. c. 63. ex edit. Gronou. fol. 12.

tile, quod supra breuiter strictimque exposui, vel fuisse le-
 Æticam et thensam, quia, vti *Ludouicus de Dieu* scribit,
zentorius et thessis Deos circumferre ritu antiquissimo sola-
 bant idololatrae; alii vero, *Grotius, Hammondus, Io. Gre-*
gorius, at quanti in litterarum orbe heroes! intelligenda
 heic esse *valdica* contendunt. Nec leuia sane habent illi ar-
 gumenta, quibus sententiam suam possunt suffulcire. Pri-
 mum enim vocem, נשׂוּ vrgent, cuius ex ipsorum mente
 frequentissima est significatio, *sublime ferre, eleuare, in*
umeros sublatum ferre, et cum pompa quadam gestare.
 Cui dein Chaldaei, qui נשׂוּ חַיִּים habet, nec non graeco-
 rum Interpretum, qui per ἀνελάβετε τὴν σικκὴν τῶ Μόλοχ
 reddiderunt, testimonium, tandemque ipsius Spiritus S.
 a) auctoritas accedit, qui graecorum Interpretum secutus
 verba נשׂוּ in singulari numero per σικκὴν exposuerit.
 Hi vero, alterius scilicet sententiae patroni aequiore Ioue,
 nisi fallor, mihi videntur iudicare. Argumenta enim,
 quae prolixè modo recensui, commode ita resoluunt, vt
 vocem נשׂוּ simpliciter nonnunquam gestare, portare b)
 significare, quoad reliqua vero Chaldaicum graecos, quo-
 rum loquendi rationibus more sibi admodum frequentem
 in Instrumento nouo Spiritus S. vitur, secutos fuisse o-
 ffendant. c) Ad suam vero sententiam eo firmiter stabi-
 liendam luculenta & certa eiusmodi aedicularum exem-
 pla, quae fere omnia in hac dissertatione nostra recen-
 sentur, tanquam minus dubia veteris huius superstitio-
 nis

B 2

a) Act. VII, b) e. g. Exod. XXVIII, 29. vbi Targum נשׂוּ
 habet. c) De usu LXX. Interpretum in Nou. Test. praeter
 multos alios nouissime perquam erudite egit P.C.M. Hen-
 cke Halae 1709. & 1715

nis instrumenta afferunt, vocemque מִכֶּסֶת in plurali, non כֶּסֶת, uti Chaldaeus legisse creditur, usurpatam esse adeoque gentem istam nimis credulam multa Molechi tabernacula habuisse arbitrantur. Neque omnia hisce ego tantum expediri posse reor argumentis, sed alia quoque accedunt. Mosis videlicet, diuini scriptoris, vrgeo silentium, quo tantum tamque publicum gentis suae horrendum scelus, quo, ipso praesente, profani Numinis simulacrum circumtulisse dicuntur, inuoluerit solertissimus iste alioquin omnium gentis suae scelerum narrator. Cui tandem *Iosuae*, moribundi nunc adiicio admonitionem, qua iisdem fere, quibus *Iacobus* seruos eodem in negotio fuit allocutus, a) erga ciues suos vsus fuit verbis, b) ut Deos alienos procul remouerent; ex quibus omnibus illud conicerem, *Iudaeos* in itinere suo clanculum *Aegyptiorum* Deos, et, uti Spiritus S. per *Amosum* testatur, viales suos *veidvovs* inclusos habuisse. Idem enim satis clare de *Aegyptiis* nos edocet *Apuleius*, lepidum istud et facerum caput, asserens, quod *peregre profecturi tulerint secum Dei alicuius simulacrum ipsique festis diebus thure, mero aliquo et victimis supplicauerint*. Quae duo igitur si rite perpenduntur, alterum videlicet, *Israelitas* iter periculosa plenum alea ingressuros saepiusque cum hostibus bello potentibus dimicatuuros; Deos viae duces pugnarumque auspices sibi exoptasse, et habuisse; alterum, *Aegyptios*, in quorum mores admodum proclives erant *Israeliticae*, Numina sua eiusmodi aediculis afferuata secum circumtulisse, vero non absimile videretur, (fateor enim, quod res est) Molechi haec tabernacula nostrum hoc ad negotium pertinere

VII

a) *Gen. XXXV, 4.* b) *Isf. XXIV, 23.*

VII

Qua vero e materia confecta illa fuerint, non liquet, lignea tamen, qualia ex *Herodoto* et *Aristotelis* interprete supra commemorauimus, fuisse suspicari nos iubet prisca illa inconditi simplicisque ingenii tempestas. Qualem etiam vel lapideam pro loci vilitate fuisse Deae *Hipponae* domunculam adserit *Pricaeus*, a) quam quippe in stabuli meditullio collocatam fuisse auctor est *Apuleius* b)

VIII

Adeo enim tamque efficaciter hominum animos quondam incefferat superstitio, vt praeter publicas religiones et ea Numina, quae in templis publicisque locis reuerebantur, priuatos quoque haberent multiplices Deos, qui, teste *Philoxeni Glossario*, Θεοὶ κατοικίδιοι, ἡρώες κατοικίδιοι et ποικίλοι Θεοὶ graecis dicebantur, et quorum alium in equili, alium in vestibulo aut atrio, salium in cubiculo, (vnde imagines cubiulares apud *Suetonium* c) alium ad focum, alium in domo intima, alium denique in cellis promtuariis statuerent, quorum vltimum Κτήσιον Δία vocauit *Anticlidus* apud *Athenaeum*, d) aediculam vero, qua ille includebatur, κεδίσσιον nominarunt. Καδίσσιον enim, inquit *Athenaeus*, οὐρανῶν ἔστιν, ἐν ᾧ τὸς κτησίας Δίας ἐγκαθίστασι. Vbi reclusissime κεδίσσιον signi esse recepraculum, non ipsum signum, vt quidam existimauerunt, cum *Iacobo Dalechampio* e) statuit celeberrimus

B 3

Isaac

a) in notis ad h. l. p. 177. b) *Metamorph.* L. III. p. 61. vbi aediculam loco aediculae substituit Lippus, quod Cl. Io Brantius in notis ad h. l. p. 94. non ita bene factum esse arbitratur. c) in *Augusto* c. VII. d) *Deipnosoph.* L. XI. c. VI. fol. 473. e) *Comment.* in h. l.

Isaac Casaubonus. In eo tamen longius, quam par fuit, processit heic *Casaubonus*, cum vocem hanc *νόδον* vel *νόδιον* hac significatione graecis primum fuisse notam et ab Ebraeo *נֹדֶן*, vnde est *נֹדֶן*, descendisse putet, cum potius *νόδος* varii generis vasa videatur primum denotare et hinc ad sacra quoque applicari. Non enim eo solum vocabulo poculi quaedam denominatur species, sed etiam illud *νόδιον*, eis δ' ἐπιφορὰς οἱ δμοῖαι, vti *Aristophanis Scholiastes a)* illud exponit, atque *νόδιον*, inquit *Hesychius, b)* οἰκία, eis δὲ τὰ ἱερὰ ἐπίθεον. Hunc igitur Iouem *νόδιον*, praediorum quippe et opum praedem accedebant, quotiescunque ipsorum res domestica videbatur periclitari. Huc quoque, nisi fallor, respexit *libri Sapientiae autor, c)* qui cum ligneos struendi Deos ipsisque coniuges, liberos bonaque sua reliqua commendandi religionem voluerit describere, addit, quod architectus Deo suo ligneo faciat aediculam, ποιήσας, scribit, αὐτῷ ἄξιον ὄνημα ἐν τοῦτο ἔθηκεν αὐτῷ

IX

Nec ex ligno modo, sed ex auro quoque et argento, constructa fuisse haec nostra *νόδιον*, veterum testantur monumenta. E suis enim templis (publicis videlicet et maioribus) *χρυσὸς νόδος τοῖς ἀφιδεῖμασι πρὸς ἱεροῦ* atque supplicationem *Carthaginenses* olim misisse auctor est *Diodorus Siculus, d)* quod ad auertendam Dei iram plus facere existimabant, quam si donaria ablegarent, quibus

Nu-

a) ad *Vespas. f. 441. et f. 500. ex edit. Kusteri et Suidas Lex. T. III. f. 216.* b) in *Lexico.* c) *C. XIII. 15.* d) *Biblioth. bist. LXX. f. 756. ex edit. Laur. Rhodmanni.*

Numinis iram possint mitigare. Quibus e verbis id quoque patet, quod multum auctoritatis religionisque hisce aediculis vindicarint, uti de paruo quodam *Iunonis* templo prodigium quoddam enarrat *Dion Cassius*, a) ἐν τῷ αἰ. βάλω, inquit, νεὸς Ἡραε βραχὺς ἐπὶ τρεπείζης τῶς πρὸς ἀνατολὴν ἰδόμενῳ πρὸς τὴν ἀρετον μετεστράφη. *Argentea* vero νοῦδία *Demetrius*, celebris ille ἀργυροκόπος, quem paulo post feliciorum temporum initia alebat *Ephesus*, νεώτερον illa τῆς μεγάλης θεᾶς ἀετέμνον, confecit, quae ἀργυρὸς νεὸς diuinus *Lucas b)* appellauit

X

Equidem *Theodorus Beza*, c) quo cum *Vinarienses*, *Haffenverferus*, d) et *I. Scaliger* e) consentiunt, numos fuisse putat, in quibus *Ephesini* templi τύπον, et figura fuerit expressa, eosque ab illa, quam habebant, imagine, templorum titulum accepisse. Ea scilicet ratione, qua *Corinthiorum* numi quidam πῶλοι, *Peloponnesiorum* χελῶνες (ut *Hesychius* habet) vel (uti *Suidas*) χελιδῶνες, f) Atheniensium κόραι et βῆς appellabantur ab effigie, qua erant signati, νεὸς ἀργυρὸς *Demetrii* fuisse numos excusos *Caspar Waserus* arbitratur. g) Nec caret haec coniciendi ratio argu-

a) L. 40. f. 128. b) *Act.* XIX, 24. c) in notis ad b.l. d) in *Templo Ezechielis* fol. 80. e) uti *Scaliger* ana testatur, ubi verba p. 279. sic sunt: Ναοὶ ἀργυροί, c'étoit des monnoyes, ou étoit peinte l'image de ce temple; Monnoyes faites par superstition, et qu'achetoient tous ceux, qui venoient voir ce temple. f) *Pollux Onomast.* L. IX. Segm. 73. τὸ πελοποννησίων νόμισμα, χελῶνη τινὲς ἤξιον καλεῖν ἀπὸ τῶ τυτώματός, ὅθεν καὶ παροιμία.

τῶν ἀρετῶν καὶ τῶν σοφῶν νικῶντι χελῶνες
Quae verba *Erasmus* ita interpretatur:

VI
DISSERTATIO

argumentis, quorum fere praecipuum est, quod numi
temporum imagines referentes inueniantur. Ita enim
Io. Vailantius, a) numos varios explicat sub *Hadriano* cu-
fos, qui templa octo columnarum, in quibus *Diana Ephe-*
sia conspicitur, expressa habent, qualia etiam *Fr. Medio-*
barbus Biragus b) recenset

XI

Verum tria sunt, quae, ne huic cedam sententiae,
impediunt. Primum enim numus, ad quem *Beza* pro-

Et virtus testudinibus et sapientia cedit:
Ioachinus vero *Camerarius* hunc in modum:
Doctrina et virtus iacet a testudine victa
qui in *Libro de Numismat.* ita pergit: Nunc similiter qui-
dem vel turpius sane et cum maiore saeculi ignominia su-
peratur utraque a bestis tamen praestantioribus, aquillis,
leonibus, vrlis, gryphibus, quibus insignitur his temporibus
moneta. Conferatur etiam hoc de numo *Hofius* L. III.
Rei Numm. c. 8. tm. 2. *Hicce de reliquo consona fere sunt, quae*
Venusinus cecinit L. I. Ep. I.

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum
O ciues, ciues, quaerenda pecunia primum
Virtus post nummos, haec Ianus summus ab imo
Per docet, haec recinunt iuvenes dictata senesque
Lacus suspensi loculos tabulamque lacerro
g) de antiquis numis Hebraeorum, Chaldaeorum et Syror.
L. II. c. 15. p. 89. seq., de quo *Wafro* minus egregio iudicat
Scaliger: Son livre de Numismatibus n'est pas grand cho-
se; il est bien miserable --- *Waferus* en son Livre de Numis-
matibus ne dit rien, nisi dictum; il ne m'en seigne rien: o le
pauvre homme! *Scaliger* ana p. 441.
a) in *Numismatibus graecis* p. 34. et p. 62. 63. b) in auctiore
editione *numismatum* *Oeconis* p. 83.

vocat, *Claudio Neroni* attribuit *Jacobus Oiselius* nullam *Demetrii* faciens mentionem. Deinde nullum plane eiusmodi ex antiquioribus exemplum, quod istis temporibus fuerit excusum, depromi potest scriptoribus, tandemque, cum numia figura, quam referunt, nomina accipiant, numos sane istos non templum, sed Dianam potius vocasset *Demetrius*. Quare potius exiguas heic intelligo vel ex auro vel ex argento fabrefactas aediculas, in quibus simulacra Dianae parua recondebantur, quae vulgo ab aliis, qui *Dianam* Ephesinam visebant, pietatis ergo emebantur, aut etiam ab ipsis *Ephesitis* inter Lares suos domesticos reponebantur. Ita enim templum Dianae venerabantur, ut illud in imaginibus effingerent eiusque similitudinem in statuis, in aediculis argenteis conflarent, quibus effigiem Dianae imponebant, quas deinde, *vti Cornelio a Lapide a)* videtur, Dianae in templo consecrabant, *vti Herodotus b)* templi mentionem facit Babylonii, in quo aliud adhuc fuisse templum, *ἐνθα ἀγαλμα μέγα τῆ Διὸς ἐν καδήμενόν χερσέων* commemorat: *vel ad collum aut in pileis et vestibus appensas gestabant*

XII

Verum non varia modo eiusmodi aedicularum fuit materia, sed varia etiam fuit earundem figura et magnitudo. Cum enim Deos, qui corporis curam habere debebant, circumferrent, capsulas siue thecas, in quibus hosce genios suos includebant, in forma membrorum, quae cuperent sanari, adaptabant. Talem ex cupro constructam in forma *Perseae* linguiformis capsulam exhibet *Atb. Kircherus, c)* intra cuius concavum, *vti ipse scribit, puerulus*

C

latet

a) in h. l. b) L. I. c. 83. c) in *Oedipo Aegypt. T. II. P. II. p. 450. et Gieb. Cuperus in Harpocrate p. 159.*

DISSERTATIO

latet digito labiis impresso silentia suadens, altera manu cornu copiae tenens; et indicat Harpocratem sapientiae Numen inclusum Perseae fructui cuius solum vti linguae, ita fructus cordis figuram exprimit, teste Horo: quo indicatur, quod, quicumque ad sapientiam adspirat, is, quod per sapientis linguam didicit, id alte cordis penetrabilibus per frequentem contemplationem committere deberet; eratque amuletum, quod sacerdotes ad sapientiae spiritum per Harpocratis fauorem acquirendum portare solebant

XIII

Varia adhuc aedicularum conspectui Tuo, Lector honorande, obuertata sunt exempla, variamque simul earundem structuram et materiam considerasti, quo vero fine eadem fuerint constructae, paucis quoque nunc est expendendum. Ad augendam conciliandamque simulacris reuerentiam et *Decorum* factum id fuisse vix crediderim, licet ita quosdam sentire probe nouerim. Quadratum enim illud fanulum, quo Aquila, *a*) militare apud Romanos signum, in Traiani columna secum circumferre conspicitur, ita explicat *Claudius Salmasius*, *b*) vt originem eius a fulgure, cuius ministra auis illa credebatur, deriuaret. Quemadmodum enim credit ille, fulguri, quod in terras ceciderat eo, quo condebatur, loco facellum veluti vel ara in summo foraminata imponi solebat, ita etiam Aquilae fulminis ministrae huiusmodi imponebatur aedicula, quod sane in signis aliis non fiebat, quamuis et ipsa haberent.

a) in Exercit. Plin. in Solinum fol. 114. *b*) hanc clausam Aquilae effigiem nominat Silius, dum canit:

- - clausamque Aquilae infelicitis adorans
Effigiem

L. VI. v. 37.

rentur sacra. Atvero nimis ex alto hanc originem derivare mihi *Salmasius* videtur, si enim exin aediculae aquilarum incunabula essent repetenda, reliqua etiam aquilarum simulacra eodem sacello fuissent ornanda, quo tamen Aquila, regium alias et consulare decus, nunquam, nisi fallor, fuit vestita. Dein etiam aquilae sacellum cum puteali isto nullam plane habet similitudinem. Ad conservandum igitur a tempestatum rabie simulacrum eiusmodi additas fuisse aediculas putaverim, praecipue cum eadem haec Aquilae non super imposta, vti *H. Kippingius*, a) putat, sed inclusa eadem fuerit Aquila, quod etiam adstruere mihi videtur *Dion Cassius*, b) *Ἐὺμ αἰετὸς, ἐν ᾧ τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τῶν στρατοπέδων προτινέσται*, vti *Herodianus* c) illud describit, minus recte, vti credo, exposuit *Lipsius* d)

XIV

Ad tuendum etiam simulacrorum nitorem et ornamentum eadem fuisse *voaidios* inclusa paene affirmaverim, quod vel veterum solertissima imaginum cura potest comprobare. Hi enim, praecipue *Romani*, in atrio suo, celeberrimo quippe aedium loco maximeque conspicuo maiorum imagines suorum habebant repositas, vel ut ipsorum virtutes imitari discant, vel quia avis atavisque olim quam maxime superbiebant *Romani*, illi scilicet, qui non virtute sed genere et familiarum antiquitate sibi ad gloriae fastigium adscendendum esse credebant. Cum vero antiquissimis temporibus imagines illae ex cera fuerint confectae, quod *Ovidius* e)

C 2

Pey-

a) *Antiq. R. L. III. c. I. §. VI.* b) *L. XL. f. 28.* c) *L. IV. Hist. in Anton. Caracalla.* d) *de Militia Romana L. IV. pag. 271.* e) *L. I. Fastor.*

DISSERTATIO

*Perlege dispositas annosa per atria ceras
et rursus a)*

*Nec Te decipiant veteri, cincta atria cera
atque Iuuenalis b)*

Tota licet veteres exornent undique ceræ

Atria. Nobilitas sola est atque unica virtus
nos edocent, necesse omnino erat iudicante ita *Edmundo
Figrello c)* ne laedi et corrumpi vel leuissimo quoque at-
tritu potuissent, vt aediculis quibusdam quasi circumfepi-
rentur. Praeter haec etiam in atrio asseruabatur ignis Lari-
vm, vnde et fumosae saepius scriptoribus hae dicuntur i-
magines. *Non facit, inquit philosophus, d) nobilem atrium
plenum fumosis imaginibus.* Et *Tullius e)* *Romanorum* elo-
quentissimus, *Pisoni* pro concione facete satis at verbis
mordentibus exprobat: *Obrepisti ad honores errore homi-
num, commendatione fumosarum imaginum: quarum simi-
le habes, nihil praeter colorem.* Eodem pertinent *fumosi e-
quitum magistri*, quorum mentionem facit *Iuuenalis f)*

Quis fructus generis tabula iactare capaci

Coruinum et posthac multa deducere virga

Fumosos equitum cum dictatore magistros?

Ne fumo igitur obduci queant imagines, aediculae hae
impediabant

XV

Nec hic solus et praecipuus aedicularum erat vsus,
sed alium adhuc quendam temporum modo laetiorum
modo tristiorum vicissitudini inferuentem inuenimus.
Aliiter, scribit Plinius g) *apud maiores in atris erant, quae
specta-*

a) *Amor. l. 8.* b) *Sat. VIII.* c) *de Statuis Illustr. Roman. c. II.*
p. 90. d) *Seneca Ep. 44.* e) *in L. Calp. Pisonem.* f) *l. c.*
g) *Hist. Nat. L. XXXV. c. II.*

spectarentur, imagines, non signa externorum artificum, nec aera aut marmora, expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quae comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo, totius aderat familiae eius, qui unquam fuerat, populus. Stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas. Defunctorum videlicet imagines in celeberrima aedium parte ponunt, scribit Polybius, a) lignea quadam aedicula circumtectas, (ὄλιον ἢ ἀνεμόστυρον) quae tristi nubiloque tempore, edocente ita nos Seneca b) claudebantur, redeunte vero post nubila Phoebus et sub laetiora tempora aperiebantur. Senatores omnes, scribit Vopiscus c) ea fuerant laetitia elati, ut in domibus suis omnes hostias albas caederent, imagines frequenter aperirent, albatu sederent, cetera. Inprimis vero tum festis diebus, tum nuptiarum tempore, teste Seneca, tum etiam in innocentiae testimonium aperiebant eas aediculas, qui graue aliquod crimen publice diluerant. Nam ipse quidem, edisserit Cicero, d) si erit vestro iudicio liberatus, quae habet ornamenta, quae solatia reliquae vitae - - aperientur imagines, ipse ornatum ac vestitum recuperabit.

XVI

Affine tandem huic materiae restat argumentum, quod breuiter strictimque adhuc est explicandum. Antiquissimae videlicet statuae *μυλωνες*, quos umbellas lunatas latine dixeris, in capitibus suis gerebant, qui plerumque per nimbos e) capitumque lunulas exponuntur. Adfuisse

C 3

eius-

a) L. VI. c. 37. b) Rhetor. III. controu. 21. c) in Floriano c. VI. d) pro P. Sylla. e) Conf. Io. Nicolai libellus omnino rarissimus de Nimbis sanctorum lenae 1699. 12mo. excusus et Anshelm. Solerius de Pileo Sect. XVIII p. 360. sqq. et Cl. Heineccii Synt. de Vet. Germ. aliarumque nationum sigillis C. XIV.

DISSERTATIO

cuiusmodi *μηρίσκος* statuis, nullum planè est dubium, quippe quorum varia adhuc apud scriptores restant vestigia, quae edocent, ideo illos fuisse statuatum capitibus appositos, ut contra auium sordes et stercorea, vel quicquid earum nitiori obesse potuisset, pro tegumento inferuissent. Ita enim ea, quae iam expolui, explicat *Aristophanes*, a) dum canit

- ἦν δὲ μὴ κρηγίτε, χαλκούςδε μηρίσκος φορέῃν
 ὡςπερ ἀνδρείωντες ὡς ὑμῶν ὅς ἂν μὴ μῆνην ἔχη,
 ὅταν ἔχητε χλαυίδας λευκῆν, τότε μάλις ἔτω δῆλην
 Δάσενθ' ἡμῶν πᾶσι τοῖς ἄνοισι κατατιλώμενοι

Quam igitur causam cum ignoraret ingeniosa alias pictorum turba, et honoris causa id fieri debere crederet, non omnibus solum statuis eiusmodi *μηρίσκος*, quos *σκεπάσματα τῶν ἀνδρείωντων* vetus *Aristophanis* enarrator appellat, ab iis impositos sed imaginibus quoque pictis fuisse additos, iudicant *Salmutus*, b) *I. Scaliger* c) et *Ioach. Camerarius*. d) At uero haec mihi sententia merito, consentientibus mecum *Pignorio*, *Kirchero*, *Raynaudo*, *Io. Ciampino* et *Ludolpho Kustero*, f) dubia videtur. Apud veteres enim *graeccos* iamiam Deorum et Dearum simulacra circulo radiato honoris gratia ornari solebant. *Lucianus* g) dum *Iunonis* simulacrum describit, ἐπὶ τῇ κεφαλῇ, inquit, ἀκτινας τε φορέει καὶ πύργον, et statuam auream in honorem

Ti-

a) in *Auibus* v. 114. sq. b) in *Comment. ad Panciroll de Reb. Memorab. tit. 44.* c) in *Priapeia* p. 475. ubi *Horatianus* *Priapus*, si sciens fallit, sibi haec imprecatur: merdi, que coinquiner albis Cernuorum. d) *Decur. VII. Probl. X.* e) in veteribus *Monim. P. I. Rom. 1690. fol. 15. sq.* f) in not. ad *Aristophanem*. g) in *Dial. de Dea Syr. p. 675. edit. Amstelod. et in Timone pag. 154.*



Timonis erigendam describens dicit eam in arce iuxta Pal-
 ladem collocatum iri, *κεραυνὸν ἐν τῇ δεξιᾷ ἔχοντα καὶ ἀντίπαις*
ἐπὶ τῇ κεφαλῇ. Nec defunt ex romana antiquitate exem-
 pla, quorum sane splendidum est pictura illa a) in Codice
Virgilii antiquissimo, qui in *Bibliotheca Vaticana* asserua-
 tur, in qua supra moenia *Iliaca* *Cassandra* vates conspicitur,
 cum circulo capiti circumducto, introductionem *Argiuo-*
rum equi dissuadens; et prope vrbs portam stat *Priamus*,
 laeua innixus baculo, verticem fulgenti nimbo circumda-
 tur dextramque attollit, ac si vafro et periuro *Sinoni* pare-
 at. Ita *Augusti* caput radiis aut nimbo ornatum exhibet
Goltzius, b) aliorum vero *Augustorum* capita radiis cir-
 cumdata sine numero paene *Jacobus Oisilius* c) et *Du-Cange*
d) collegerunt. Aeternitatem videlicet et diuinitatem
 exprimere hisce imaginibus antiqua satagebat superstitio,
 quare non hominibus tantum, sed animalibus etiam bru-
 tisque, quae Numinibus sacra credebant, hosce *μνηστῆρας*
 caeca mentis suae pietate ducti vindicabant

XVII

Haec igitur sunt, quae circa *vevidias* hisquè affine ad-
 modum argumentum licuit nobis expendere. Ex pulve-
 re et vetustatis quasi squalore omnia haec produxi, quae
 si TVO, Lector honorande, grata erunt palato, laetus
 ero, sin minus, vbi erraero, amice omnia corrige et e-
 menda, porroque meis faue laboribus. Vale

Epi-

a) *Conf. Champinius l.c.* b) *in Augusti numis a p. 18-21.* c) *in*
Thesauro Numismatni. d) *in Constantinop. Christ. de Impe-*
ratoribus Byzantinis, vbi non modo Caesarum, sed ipsius
Christi, Mariae et Angelorum Imagines sic comptas exhibet.

Επίμετρα

- I. Logica sine contradictione vix dici potest naturalis
- II. Tacitus minus accurate philosophatur: contemptu famae contemnuntur virtutes
- III. Terentius in Prologo Eunuchi plagii sui excusandi, non veritatis gratia scripsit: Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius
- IV. Qui dextram, quam amputari iussit Servator, de amico potente et forti, oculum vero, eodem monente, eruendum de dilecto charoque propinquo interpretatur, sola sententiae suae probatione ex Num. X, 25. petita, regulas interpretandi neglexisse mihi videtur
- V. Contra eosdem quoque impingit quicumque historias a diuinis scriptoribus recensitas mystice interpretatur
- VI. Pufendorfiano I. N. principio vix commode omnia officia possunt expediri

D1 A 6633

ULB Halle 3
003 090 418



Sb.

D 17







N. 10.

D. B. I

DISSERTATIONE PHILOLOGICA

ΝΑΙΔΙΑ
PRO LOCO

RITV ANTIQVO OBTINENDO

DIE XI DECEMBR. A. O. R. c1s 15cc XVII

E VETERVM MONIMENTIS

EXPONET

M. CHRISTIANVS GOTTHOLD
WILISCH

LIEBSTADIENSIS



LIPSIÆ

EXSCRIPSIT IMMANVEL TITIVS.